



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||**

**Johannes <Damascenus>**

**Parisiis, 1577**

Quomodo ad imaginem Dei creati simus, eodem interp.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

A

## D. IOAN. DAMASCENI,

QUOMODO AD IMAGINEM DEI

facti sumus, Peronio interprete.



**B** N I E A QUIDEM animi parte, quæ ratione, & in ea quæ intelligentia, & quæ libero arbitrio continetur, hæc imago intelligitur: & in eo quod mens verbum gignit, & spiritum profert, & in eo quod principatum obtinet. Ex his quidem & angeli & homines ad imaginem Dei facti esse intelliguntur. Homines autem præterea ex essentia intelliguntur ad imaginem Dei effecti, ut ex eo quod Adam non est genitus, &

Abel generatus est, & Eva processit. Præterea ex eo quod naturam tenet principatum. Naturam enim corpori animus imperat. Ex eo etiam quod in hominem quasi in angustum locum, quæ creata sunt, concluduntur omnia. Ut enim in Deo omnia comprehenduntur, & colligantur communi quodam vinculo, sic in homine. Est enim & eorum, quæ intelligentia, & eorum quæ sensu continentur, nodus & vinculum. Itemque ex eo, quod ad eam imaginem & simulacrum factus est, ad quod gignendus erat Dei filius. Non enim factus est angelus, sed homo.

**C** Omnis autem res, quæ ex duabus naturis dissimilibus concreta est, naturales duarum illarum naturarum proprietates complectatur necesse est, etiam si in coniunctione earum perspicitur permixtio. Nam ignis & aqua cum inter se contraria sint (ignis enim calidus & siccus est, aqua frigida & humida) tamen cum ex quatuor elementis corpus concretum est, quatuor præditum est qualitatibus, calore, frigore, humore, & siccitate. Quod si in his, quæ permiscuntur, necesse est inesse naturales proprietates eorum, ex quibus constat, quanto magis in ea coniunctione, quæ omnis permixtionis experta est? Sed respondent, homini à natura non esse

**D** datam voluntatem: dicuntque id quod Manichæi, duas tantum esse voluntates: unam quæ à Deo profecta est, boni: alteram mali, quam malus genius in seuerit: & cum id vult homo quod bonum est, Dei: cum id quod malum, diaboli in eo inesse voluntatem. O singularem amentiam, o ignorationis tenebras! Diuinam voluntatem, quæ omnia facit, vtrum homo habet necne? Certè habet, inquit. Si homo diuinam habet boni voluntatem, profecto eorum ratione & sententia homo author erit rerum omnium. Non intelligunt autem nullam omnino naturam aliquid exequi posse, cuius facultatem à natura non perceperit. ut aues nunquam possent volare, nec terrena bestia ingredi, nisi natura illis volandi, his gradiendi vim dedisset. Similis est ratio hominis: neque enim vnquam velle aut agere quid

**E** possit, nisi à natura ei concessa esset volendi & agendi facultas. Non enim, exempli gratia, intelligere, aut videre, aut etiam quid agere possit, nisi intelligendi & videndi & agendi facultatem à natura accepisset. Itaque in omni natura naturales actiones & insunt, & vnà insunt: ea autem quæ cadunt sub voluntatem aut actionem, non insunt. Ea naturalis voluntas, id est vis ea, qua volumus, vnà est: ea autem, quæ volumus, multa & varia sunt. Ait enim Scriptura, Omnes voluntates eius sunt in ipsis, non ait, Diuina voluntas in eis: sed, Omnes voluntates eius in ipsis, id est, ea quæ cadunt sub eius voluntatem. Intelligendum est diuinitatis voluntates ad naturam pertinere, propterea quod immutabilis est: nec aliter atque aliter sua natura velle potest, sed semper eodem modo. Itaque eadem cadunt sub Patris, Filij, & Spiritus sancti voluntatem. Quæ enim ad naturam referuntur, Patris, Filij, & sancti Spiritus, quod eadem horum natura sit, eadè sunt omnia. Nichil autem personarum est proprium in illa summa diuinitate, nisi Patris, à nullo

*Aliud est vis, qua volumus, aliud quod volumus.*

ortum & originem habere, & generare: Filij, generatum esse: & processisse, sancti Spiritus. Quod autem diximus de voluntate, idem de vi agendi dicimus actionis verbum significare diuersa. Actionis enim Dei proprium est, non solum omnem sensum, mentem & secula omnia, sed omnem etiam causam, atque rem, quae nomine appellari potest, infinitis partibus superare, & ultra progredi. Est enim actio naturalis cuiuscuiusque naturae vis & motus. Rursus actio est vis naturalis, & yniuscuiusque essentiae interpres. Item actio vis est animi intelligentis, naturalis & prima, id est quae motu perpetuo agitur: id est, eius ratio, quae sempiterno motu cietur, naturaliterque ex eo semper quasi ex fonte manat. Dicuntur etiam actionis operationes: vt videre, vt loqui, vt respirare, deambulare, comedere, bibere, id est omnis naturalis facultatis functiones & munerera. Pleraque etiam eorum, quae naturam patimur, actionum appellantur nomine, vt famas, litis, quaeque sunt eius generis. Atque, vt rem in pauca conferam, actio est naturalis cuiusque naturae vis & motio, qua separata res in nihilum recidit. Quid est ergo quamobrem Christus naturam humanam actionem non habeat? cum praesertim sublata naturali cuiusque actione, naturam interitus consequatur. Si ergo non fuit in eo naturam humanam naturalis actio, ne natura quidem humana in eo fuit. Quorum enim naturam diuersae sunt, eorum etiam tam voluntates, quam actiones differunt. Aliud autem est agere, aliud agere quid, aut quodammodo: vt aliud est id quod agitur, id est actio: aliud id quod agere potest, & aliud id quod agit. Atque actio quidem est ipsa vis agendi, id est vi agendi valere. Aliquid autem agere est, vt ceruere, intelligere, audire, deambulare, comedere, potare. Quodammodo agere, est bene aut male. Id autem agere potest, quod vi agendi est praeditum, vt angelus & homo. Id autem agit, quod vi agendi utitur, cuiusmodi sunt res singulae. Quod si actio aliam vim agendi nostram significat, aliam agere, interdum ipsam, vt ita dicam operationem, certe actio, id est ipsa vis agendi, & agere ad naturam pertinent. Omnes enim homines agendi vi praediti sunt & agunt, propterea quod homo est animal natum ad agendum. At ipsa operatio non solum naturam est, sed etiam rerum singularum, id est personarum duntaxat in hominibus & angelis. Nam in sancta Trinitate naturam sunt omnia, & quae sub voluntatem cadunt, & quae sub vim agendi, ob eamque causam eadem sunt trium personarum. Angelorum autem & hominum non est idem subiectum voluntati, nec actioni: nec in eis idem est his facultatibus utendi modus. Est enim in quoque angelo & homine suus motus & appetitus, alioque ac alio modo & volunt & agunt singuli. Quapropter in Domino nostro Iesu Christo, quoniam duae sunt naturae, duae etiam actiones sunt, quae naturam attingunt, vt fit & Deus perfectus, & homo perfectus: itemque duae sunt voluntates, quibus alio atque alio modo vult pro naturali duarum naturarum distinctione, vt Dei more, & hominum more: sed ita vt quae ex parte natura est diuina, modo quodam omnia cohibente, & ab omni perpeffione libero: qua autem humana natura est, imbecillo quodam, & perpeffioni admixto velit omnia. Et alia quidem atque alia in eo naturalis actio est. Alia est enim naturam diuinam, alia humana actio: vt alia natura diuina, alia humana agere in eo potest. Nam nec ea agere potest natura diuina, quae humanae sunt, nec natura humana, ea quae sunt diuinam propria. Vt exempli causa, non res creat & molitur natura humana, nec diuina comedit, aut loco mouetur. Etsi autem natura diuina per humanam haec agit, tamen vnus est, qui haec & illa agit omnia, quod ex his duabus naturis vna persona constet. Si enim humanam actionem non accepit, nec vixit vt homo, nec intellexit, nec cogitauit, nec comedit, nec bibit, nec cibum gustauit, nec ambulauit, nec vidit, nec audiuit, nec respirauit, nec vllum eorum munus executus est, quae naturam attingunt humanam. Ex quibus efficitur eum hominem non fuisse. At enim beatus Gregorius Nissenus: His ita digestis & subtiliter disputatis, videamus num sancta Euangelia, Apostoli, sanctique Patres Christum haec habuisse omnia

A omnia confirmat. Ac animum quidem humanum in se fuisse, ipse in Ioannis Euangelio asserit his verbis: Possum ego animam meam ponere, & iterum eam accipere possum. Et rursus: Et animam meam pono pro ouibus meis. Eum corpus habuisse Ioseph testatur, qui corpus eius & petiuit, & curauit, & sepeliuit. Membrorum etiam compositionem in eo fuisse, testis est illa meretrix, quæ & caput eius vnguento perfudit, & pedes lachrymis lauit: testes sunt & clauis, quibus manus ac pedes perforati sunt: testis lancea, quæ eius latus aperuit: testis discipulus, qui supra pedes eius recubuit: testis lingua, quæ dixit: Si quis sitit, accedat ad me, & bibat: testatur os, quod Spiritum sanctum impertit: testes dentes, qui pascha comminuerunt: guttur, quod in stomachum pascha illapsum est: iecur, quod pascha in sanguinem vertit: testis præterea fatigatio, quam ex itinere suscepit, cum artuum commissuræ dissolutæ distractæque essent, vt placet diuo Basilio: testis est etiam præputij amputatio: testes clunes, qui in asino sederunt: & flagra, quibus eius tergus cæsum est: testes deniq; colaphi & os consputatum. Eum autem recepisse diuisionem & fluxum, testes sunt \* clauis, lancea, sputum, sudor, sanguis & aqua quæ ex latere eius manarunt. Participem autem eum fuisse animi & actionum & motionum, argumento sunt sanctissimi illius animi eæ, quas per incorruptum corpus exequatur, actiones & munera. Vidit enim ciuitatem Hierusalem, & fleuit. Vnguenti odor sensu perceptus: testis est & vox quæ Lazarum ab inferis excitauit: gustatus fellis & aceti, eorum ingratum saporem natura duce repudiauit, non enim sunt hæ naturæ diuinæ actiones. testis est etiam lepræ tactus & ingressus, manuumque in cruce dilatatio. Quod si naturalem facultatem vimque spectemus, idem testabitur corporis tum nutritio, tum incrementa. Beatus enim venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. Et puer crescebat ætate, vt ait Scriptura. Ex vi sentiendi animatus fuisse intelligitur. Est autem naturæ quæ rationis est expers, sensus, motus, qui suos habet impetus, fames, sitis. Scriptum est enim, Postea Suriuit. Et in cruce dixit, Sitio. Cibi etiam cupiditas. Ait enim, Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum. & ira: Turbatus est, inquit, spiritu, & protestatus est, & dixit: Vnus ex vobis me tradet. hoc etiam concoctio cibi & potus indicat, eorumque in sanguinem mutatio. Vnde enim sudor, vnde sputum, salutarisque cruor & aqua, nisi ex cibi confectione? Hæc enim omnia sensit, eisque sic vsus est, non vt perturbationibus pareret, sed duce naturam in eis sequeretur. Capiebat etiam cibum, & non vt voluptati à ratione auersa sentiret, sed vt vires resiceret. Est enim sanctissimum eius corpus: nullum interitum sensit, tamen diuisionem fluxumque naturaliter pertulit. Interitus. n. corporis est, cum in ea vnde constat occidit. In primis autem in eo fuit ipsa vita, quæ est prima animantis actio: & motus, quem corpori animus impertit. Vim autem gignendi non habuit, propterea quod stabiles sunt & immutabiles diuinarum personarum proprietates: fierique non potest, vt Pater aut Spiritus efficiatur Filius. Itaque hominis filius factus non est, sed folius Dei, vt immutabilis proprietas permaneat. Præterea persona cum persona eiusdem naturæ permisceri solet. non alia autem est iam persona eiusmodi Filius Dei & hominis Filius, nisi Deus & homo Iesus Christus, Dei Filius. Iá verò vt sit hæc permixtio naturæ consentanea ad hominum genus explendum, at necessaria non est, præfertim cum fieri possit, vt homo & sit & viuat sine vlla contrectatione: multiq; extiterunt homines, qui nunquam huic voluptati operam dederunt. Corporis enim nulla est propria actio præter fluxum & diuisionem, quæ perpeffiones sunt, non actiones. Cætera omnia, cum animus corpore vtitur, perspicue sunt actiones. Perturbatio autem non est diuinitatis. Nunc, inquit, anima mea turbata est, nec tristitia & anxietas. Coepit. n. contristari & angere. & Tristis est anima mea vsque ad mortem. Nec metus mortis: Pater, inquit, si fieri potest, transeat à me calix iste. Nec mors. Hæc, inquam, omnia non sunt diuinitatis (est enim diuinitas expers perturbationum, perpetuæque vita tenetur, nulla morte consequente)

Mat. 26.

\*circumciso.

Ioan. 11.

Luc. 11.

Luc. 1.

fed animalis, id est naturæ animi & sensus compotis. Animo autem, qui rationis & intelligentiæ est particeps, sapientiam est consecutus, quoniam sapientia & aetate profecit: neque enim in diuina sapientia progressum fecit. A prima enim conceptione completa fuit vnio, & summa naturarum coniunctio: nec vllam diuinæ virtutis habuit accessionem, sed in humana sapientia progressum fecit. Nam pro ætatis corporeæ modo & progressu humana in eo sapientia apparebat: quando quidem tanquam à prima conceptione infans perfectus extitit, habuitque digesta & composita membra corporis: propterea quod non pedetentim & sensim membrorum eius facta est delineatio & compositio, quemadmodum ait Magnus diuinisq; rebus eruditissimus Basilius in Oratione quam in Domini natalis habuit: Sic humana & diuina in eo sapientia à prima conceptione perfecta fuit, qua scilicet ex parte homo erat. Nam vt Deus, non cœpit esse perfecta Dei sapientia, sed erat æterna. Progressu autem ætatis corporis, humanæ sapientiæ, quæ in eo perfecta erat, documentum & specimen progressus habebatur. Quod si humana sapientia fuit præditus, fuit etiam intelligentia. Sapientiæ enim intelligentia vis & origo est. Itaque Apostolus ait: Nos autem sensum Christi habemus. Et Patres, quorû testimonia anneximus, imaginem Dei, quæ in nobis est, ad mentem & intelligentiam exponendo accommodat. Si igitur hominem, in quo efficiendo simulacrum suum imitatus est, sibi coniunxit, id est humanam naturam, certè naturam, quæ intelligentia & ratione continetur, assumpsit. Si appetitum assumpsit rationi obedientem, eum etiam qui rationis est particeps. Neque enim naturam accepit mentis & rationis expertem. Si enim mentis & rationis expertem naturam assumpsisset, haud sanè homo esset. Nunc eam quæ rationis est particeps, sibi coniunxit: quando quidem homo naturæ est rationis cogitationisque particeps. Itaque vt omnes sancti Patres duas naturas, sic omnes duplices proprietates, quæ naturas attingunt, in Domino nostro Iesu Christo posuerunt. Neque enim natura vlla sine proprietatibus iis quæ eam efficiunt, constare vllò modo potest. Qui igitur duas eius naturas fatentur, ij fateantur necesse est duas eius voluntates, id est duplicem vim volendi, quæ ad naturam pertinet. Habet enim naturâ Deus voluntatem diuinam, quæ omnia potest: & vt naturâ factus homo, voluntatem humanam habebat, qua clam domum ingredi non potuit, cum vellet. Neque enim certè, vt opinor, diuina eius voluntas circumscribi poterat. Erat quidem certè in eius animo humano vis volendi, qua ipse res eas volebat quæ naturam attingunt humanam, & animi sui voluntate ad res humanas ferebatur: quemadmodum diuina ea quæ Dei sunt, vnus & idem Filius Dei Christus, Deus perfectus, & perfectus homo volebat. Nec verò in eo sententiæ erat vlla repugnantia. Obtemperabat enim vltro diuinæ illius & paternæ voluntati voluntas ipsius humana, eademq; voluit eam velle diuinam. Quoniam enim Adamus Dei imperio non paruit, sed arbitrato suo contra quam diuina voluntas præscriberet, fecit, id quod præcepti violatio est: nec quisquam eorum qui ex Adamo prodierunt, in omnibus diuinæ voluntati obediuit, singulique homines diuinam voluntatem vltro ac sponte defugerunt (omnes enim peccauerunt, vt ait Apostolus, & egent Dei gloria) Dei filius salutaris patris voluntate factus est homo, naturamque humanam sibi vnâ cum humana voluntate, quæ naturæ est, coniunxit: hominis autem hypostasin non cõiunxit: ne naturæ humanæ voluntas, quæ naturæ attribuitur, voluntate ea quæ hypostasin attingit, diuinæ voluntatis præscriptione discederet, sed ei sponte pareret in omnibus: atque ita, vt vetus peccatum obliteraretur. Præterea voluntatem humanam habuit, B. Marci Evangelistæ sententiâ, quod clam domum ingredi voluit, nec potuit. Rerum igitur omnium præpotens diuina est voluntas, non imbecilla: imbecilla verò humana. Ita voluntate humana voluit, cum diuina eius voluntas approbasset, humanæque ipsius naturæ vtendi suis, voluntate dico, nõ potestate, dedisset facultatem. Alio quoque loco ait: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste, id est, mortis

I. Cor. 2.

Marc. 7.

Mat. 26.

**A** mortis poculum. Hic est naturalis vitæ appetitus & cupiditas, quam naturaliter animantes, tam ea quæ ratione vtuntur, quam ea quæ eius sunt expertes, consecutæ sunt. Veruntamen non mea voluntas fiat, sed tua. Ecce naturalis ratio, quæ compos mentis appetitio, quæ & potestate & iudicio suo, & quasi freno quodam appetitum eum qui rationis est expertis, coercet. Non mea, inquit, voluntas fiat, sed tua. Voluntas mea, hoc est humana, qua nullum tecum habeo commercium (neque enim, vt ego, sic tu homo factus es, nec humanas perpeffiones recepisti:) sed voluntas tua, quæ mihi tecum communis est, cuius, vt naturæ & diuinitatis, sum particeps. *Non enim descendi, vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me:* non vt humana mea voluntas suo arbitratu tuæ repugnet, sed vt tuæ pareat: & quod voluntati tuæ placet, id humana mea approbet. Voluntas enim Patris, eiusque decretum in eo positum erat, vt ipse Christus pro mundi salute mortem perferret, cuius causa sibi naturam humanam coniunxerat. Hoc enim in loco voluntas non vim ipsam volendi indicat, sed id quod cadit sub voluntatem. Neque enim ei propositum fuit, vim eam siue facultatem, qua Deus vult, facere (est enim increata, principioque caret) sed id quod diuina voluntas præceperat. Qua etiam significatione illud, Omnes voluntates eius in eis, intelligendum est. Nam nec multæ sunt Dei facultates quibus velit, sed vna: nec vis ea qua Deus velle intelligitur, in sanctis inest: quippe cum vna etiam sit solum natura diuina. Quorum enim voluntas est vna, eorum etiam vna natura est. Sed in sanctis voluntates Dei insunt, id est eius præcepta. Demonstratum est igitur Christum habuisse vt duas naturas, sic duas voluntates, & duas actiones, quæ ad naturas pertinet, vt sit perfectus Deus & homo perfectus. Non enim perfectus Deus, in quo non sint diuinitatis proprietates, & præterea natura diuina: nec perfectus homo est, qui perfectam hominis naturam non habeat, nec omnes proprietates quæ naturam attingunt humanam. Habebat igitur diuinam voluntatem, qua, vt Deus, ea quæ ad Deum pertinent, volebat vnâ cum Patre & Spiritu: quorum vt vna est natura, sic vna ad eam accommodata voluntas. Habebat etiam humanam voluntatem naturæ, id est naturalem vim volendi, vt homo omnibus suis partibus absolutus: quemadmodum & mater, quorû sicut vna natura, sic vna est voluntas. Habebat præterea diuinam vim agendi, qua vnâ cum Patre & Spiritu ea liberè vellet, quæ sub diuinam actionem cadunt. In eo quoque erat humana vis agendi, qua liberè ea volebat omnia, quæ proposita sunt hominibus ad agendum. Non enim diuina voluntate latere voluit, nec potuit, nec cibum capere, aut bibere: sub naturæ enim humanæ, non diuinæ voluntatem hæc cadunt omnia: nec verò diuina actione ambulabat, aut manus dilatabat & porrigebat, propterea quod non est diuinæ naturæ ambulandi vis, aut manus dilandi, & tamen vtraque in Christo natura cum vtriusque communionem ea & volebat & agebat omnia, quæ propria ei erant, cum humana eius tum voluntas, tum agendi vis diuino ipsius imperio, & actioni ministrâ se præberet. Vt enim per eius corporis actionem & functionem diuina eiusdem actio munereungebatur (tenuit enim manu puellæ manum, eique dixit, Puella surge. & tactu ac verbo diuina vis agendi puellæ vitam restituit) sic humana illius voluntate diuina eius voluntas agebat. Cum enim voluit diuinitus, miraculum operatus est: & cum humana voluntate voluit, manum porrexit, & dixit, Surge. Atque vt vno verbo finiam, omnia quæ humana voluntate voluit & egit, mundo fuerunt salutaria. Neque enim qua ex parte Deus erat, ea quæ Deum attingebant, operabatur (quippe cum non solius Dei sit tactu aut manuum dilatione miracula edere) nec qua homo erat, res quæ ad homines pertinebant, gerebat: non enim solius hominis supplicia salutem mundo afferre queunt, sed cum Deus esset, homo factus est, nouamque quandam & inauditam rem Dei & viri communem edidit: diuina quidem, sed quæ humana operaretur: humanâ, sed quæ diuinâ ministraret, atque pareret, quæque diuinitatis sibi coniuncta signa præ se ferret. Vt enim ignis & ferri diuersa sunt munera & actiones

*In Sanctis  
per voluntates  
Dei  
præcepta  
intelliguntur.*

(neque enim ignis fecat, sed incendit & illuminat ea vi agendi, quam ei natura attribuit: & rursus ferrum non incendit, sed fecat, & magnum est: cum autem ea coniuncta & copulata fuerint, coniunctè iam, non distinctè, suum munus vtrumque exequitur: simul enim & sectio & incendium existit, ferrumque ignis tum incendit, tum illuminat, cum interim non vna sit naturalis vis agendi, sed duæ: vna ignis, quæ vrit, altera, quam ferro natura dedit, diuidendi: & vtriusque sua est effectio, eius quæ ignis præditus est, incendium: eius, quæ ferro data est, diuisio, quænetiam & ea quæ ad vrendum pertinet, diuidere: & ea quæ ad secandum valet, incendere potest) sic in Domino nostro Iesu Christo vtraque natura, ea quæ ad se propriè pertinet, altera adiutrice & socia exequitur: cum interea nec vna duæ sint, nec duarum sit vna effectio & officium: sed humanæ eius naturæ sua sponte obedire diuino imperio & voluntati, suæque voluntate manum porrigere, & puellam tangere, iussu & imperio diuinitatis, quæ puellam tactu excitabat. Ita humanæ actionis finis in<sup>to</sup> libera manus dilatione, & tactu positus erat, diuinæ autem in puellæ excitatione. Quocirca non dixit magnus Dionysius, vnam Dei hominisque actionem, sed absolutè nouam & inusitatam. Vtraque enim inusitata erat, & diuina atque humana. Neque enim numerum expressit his verbis, sed modum inusitatum. Dominus enim misericordia permotus in opus suum, quod peccati morbum sponte receperat, quasi inimici superfluum semen, totum id quod morbosum erat, assumpsit, vt totum sanaret. Quod enim non est assumptum, id curari non potest. Quod autem assumptum est, ei salus est data. Quid autem in morbum inciderat ab initio, nisi mens & illius rationis particeps appetitio, id est voluntas? Hec igitur curationis indigebat, præsertim cum peccatum morbus sit voluntatis. Si igitur sibi animi, qui rationis & mentis est particeps, eiusque voluntatem non coniunxisset, profectò naturæ humanæ morbum minimè sanasset. Ob eam enim causam voluntatem quoque assumpsit. Peccatum autè propterea non assumpsit, quòd peccatum eius opus non est. Vt igitur peccati morbum ab hoste insitum, ex animo exterminaret, animum eiusque voluntatem assumpsit: peccatum autem, quia non fecit, non assumpsit: itè que vt corpus à peccati interitu & dominatu liberaret, corpus assumpsit. Quænetiam poenas, quæ primo peccato debebantur, suscepit, vt persoluto pro nobis eo peccato, quod ipsi contraxeramus, nos absolueret & liberaret. Nam quoniam seruus seruorum liberare non potest, ob eam causam ipse qui peccati expers erat, & liber, nec morti nec vlli alij poenæ obnoxius, nostras poenas pro nobis suscepit, nostræque causa est morte mulctatus, vt daret potestatem iis qui eum recipiunt, filios Dei fieri, & incorruptionis eis munus, vitamque angelorum parem, à doloribus & angoribus laboribusque vacuam, in renouatione, quam futurum seculum promittit, concederet. Primum enim perferamus oportet ea mala omnia, quæ primus Adamus, à quo ortum habemus, in mundum inuexit: deinde secundi Adami munera assequemur, si modò eius insistamus vestigiis, legique libertatis pareamus, nec rursum peccati iugo seruiamus. Nam & naturam nostram liberauit, & mandatum nobis dedit, viamque monstrauit: quam si ingrediamur, vnà cum eo in reditu nostro ibi regnabimus, quòd pro nobis præcursor reuertit: sin viam aliam ingrediamur, excludemur. Faxit autem ipse, vt sua vestigia sequentes, vnà secum in omne tempus simus & habitemus, ipsiusque gloria atque regno nunc & semper atque in omnia secula perfruamur. Amen.

## SCHOLIA IN PRÆCEDENTEM TRACTAT.

I. In ea animi parte) Sic fortasse aptius hæc verti possent: Iuxta eam animi partem, in qua ratio & intelligentia & liberum arbitrium est, atque hoc etiam nomine, quòd mens verbum gignit, & ipiritum profert, ac denique principatus ratione, tum angeli, tum homines, ad Dei imaginem facti sunt. Atque super & ex abundanti homines respectu ingeni, quòd in Adamo perspicitur, & generationis quæ in Abele, & processio nis, quæ in Eua.

A Eua. Perionius hoc loco ἐκ περιστάσεως ita vertit, ac si esset ἐξ ὁσίας. Atqui hoc vult Damascenus, hac ratione Dei imaginem magis in hominibus quam in angelis elucere, quòd trinum diuinitatis personarum proprietates in hominibus utcunque conspiciantur, in angelis autem non item. 2. ait enim beatus Gregorius Nyssenus) Hæc adde ex Græco: Loquitur quidem, vt ex hominis persona id quod naturæ imbecillitati conueniebat is qui passiones nostras sibi ascieuerat. Cæterùm alterâ vocem postea subiungit, nimirùm sublimem ac diuinitati consentaneam voluntatem supra humanam valere atque confirmari salutis humanæ causa volens. Nam qui dixit, non mea, humanam his verbis significauit. Cùm autem addidit, sed tua, diuinitatis suæ cum Patre coniunctionem ostendit: cuius ob naturæ societatem nullâ voluntatis est differentia. 3. & fleuit) Addo ex Græco post hæc rectius: Non vitiosæ voluptatis causa, sed vt quod effluerat, replet. Et si enim sanctissimum, &c. sine vlla cõrectatione) μή μιν γινόμενον, i. à coitu abstinentē. 6. diuina ipsius voluntas circumscribi poterat) Gr. τῆ θεῖα αὐτοῦ θελήσει τὸ ἀδύνατον ἐπιγράψαι. i. diuinæ ipsius voluntati impotentia atque imbecillitatem ascribes. Interpres ἐπιγράψαι pro περιγράψαι accipit: cùm tamē lata sit inter vtrūque differentia. 7. ad res humanas) ὡς τὰ ἑρηνία habet Græcus codex. i. ad res cœlestes. 8. eademque voluit) eaque volebat, quæ diuina ipsius voluntas eam velle volebat. 9. & magnum est) ἡ μέλας ἐστὶ. i. & nigrū est. Loquitur de ferro. Interpres aut μέλας legit, aut, vt etiã oculatissimo cuique interpreti nonnunquam vsu venit, hallucinatus est. 10. in libera manus dilatione) Hoc loco & paulò antè, libratorū errore dilatio ne legitur, pro, dilatatione. Non enim dubito quin interpres ἐκτασι dilationem, hoc est extensionem verterit.

**DIVI IOANNIS DAMASCENI DE IMAGINIBVS, ORATIO PRIMA.**

*Petro Francisco Zino Veronensi interprete.*

D Ex duabus harum trium Orationum translationibus, quoniam vtramque in hoc volumen conijcere non licebat, eam elegi, quæ mihi ad Græci exemplaris fidem propius accedere, ac plus nitore & elegantia habere videbatur: adnotatis interim ad cuiusque Orationis finem hys locis, in quibus à Græcis Latin nonnihil disidere iudicauit.

**D**E BEBAM equidem propriae conscius indignitatis, in perpetuum tacere, Deo que peccata mea confiteri. Verum, cum omnia, quæ tempore geruntur opportuno, laudabilia sint: videam autem Ecclesiam, quam Deus super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, existente summo angulari lapide Christo filio ipsius, ædificauit, tanquam in maris tempestate improborum impetu ventorum excitata, premi ac perturbari, & Christi tunicam, audacissimis impiorum hominū conatibus diuidi, & corpus ipsius, quod est verbum Dei, Ecclesiæ que diuinitus confirmatæ præcepta & instituta variis sectionibus distrahi, atque conscindi: mihi tacendum esse non censeo, nec linguam silentij vinculo coercendam, illam Dei sententiam veritus, ita comminantis: Si retraxerit se, non placabitur in eo anima mea. Et si videris gladium venientem, & fratri tuo non denuntiaueris, abs te requiram sanguinem eius. Hoc igitur graui metu percussus ad dicendum accessi, nec veritati regiam amplitudinem prætuli. Loquebar enim, inquit diuinus ille Pater Dauid, in conspectu Regum, & non confundebar. Quin etiam ob id magis sum incitatus. Nam ad subiectos populos decipiendos multum valet Regis auctoritas. Pauci enim, nimirum illi, qui terrarum Reges cœlestis Regis imperio gubernari, & leges debere Regibus imperare

*Eccl. 3.  
Ephes. 2.  
Ioan. 19.  
Abac. 2.  
Eze. 33.  
Psal. 118.  
Ad populos decipiendos regis auctoritas multum potest.*